



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Non dicuntur in Deo esse plures artes, aut scientiæ, sicut dicuntur esse
plures ideæ. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

dores citati non consentiunt. Nam Caiet, quem aliqui sequuntur recentiores, putat essentiam diuinam distingui in plures ideas, quatenus eam Deus intelligit, etiam directe, comparare tamen cum creaturis: hoc est, ut ab ipsis imitabilem: sic enim dum actu directo eam apprehendit imitabilem à creaturis, in ipsa confurgit multiplex respectus rationis, qui dicitur idealis. At S. Th. in solutione illa ad r. ait, per actum directum Deum intelligere essentiam suam, & creaturas in ea; sed cum cognoscit se intelligere multa per suam essentiam, intelligere etiam plures rationes rerum, vel plures ideas in intellectu suo: quibus verbis docere videtur actu reflexo confurgere relationes ideales in Deo, quando Deus intelligit suam essentiam intellectam comparate cum creaturis: & hoc facile videtur probari. Nam sicut cum actu directo intelligitur à nobis natura humana abstracta à singularibus, nondum habet actu respectum rationis, donec eam intelligamus actu reflexo esse à nobis iam intellectam, sic etiam nondum essentia diuina habet respectum rationis idealis, donec actu reflexo intelligatur ut intellecta.

S. Thomas.

Quid iuxta
hanc senten-
tiam dicatur
veritas.

6

Caietanus.

Relatio ra-
tionis quando
confurgit
actu reflexo,
vel directo
cognitiuis.

Respectus na-
turae uniuersa-
lis ad indi-
uidua con-
furgit actu
directo eam
per rationis.

Ego tamen cenfeo, si vera esset horum opinio, quatenus asserit essentiam diuinam ab intellectu diuino distingui in plures ideas actu directo, distinguendam fore ea ratione: quia (ut ait Caiet.) Deus eam intelligeret, ut imitabilem à creaturis: & sicut ad eas relatur. Namque eo ipso, quod eam concipit cum ordine ad creaturas, obicitur illa, & cognoscitur cum relatione ad illas: & quia intelligitur diuerso modo imitabilis, intelligitur cum varijs relationibus, ac proinde in plures ideas distinguitur. Id quod non obicere tradit S. Thom. in hoc artic. ad 3. cum ait respectus, quibus multiplicatur idea in essentia diuina, non effici à rebus, sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam cum creaturis: atque hoc ipsum ceteri auctores videntur asserere. Cum vero dicimus relationem rationis confurgere per actum reflexum, intelligitur, quoties relatio illa confurgit ex eo, quod res cognita est, tanquam ex fundamento: ut si ex eo quod res intellecta est, & cognoscitur, ut antea intellecta, concipitur cum respectu illo rationis ad intellectum, à quo dicitur intellecta, hoc enim fit per actum reflexum. Quod si relatio rationis confurgit per intellectum comparantem rem aliquam cum alijs, quæ reuera non refertur ad illas, relatio illa comparationis non confurgit actu reflexo, sed directo, quo res illa cum alia confertur: sicut cum Deum concipio ut creatorem comparate cum creatura, ipsum concipio cum respectu, qui cum non sit realis, est rationis habens esse solum per intellectum: sic igitur si Deus intelligeret suam essentiam relatur ad creaturas ut ab eis imitabilem, hoc eodem actu directo conciperet in sua essentia respectum, qui solum haberet esse, eo quod cognoscere eam.

Hoc eodem pacto, nempe actu directo, sed comparate, confurgit relatio rationis in natura vniuersali, eo solum quod illa concipitur vno conceptu, quasi vna superior multis, quibus ut communis comparatur, nec opus est actu reflexo cognosci tanquam prius cognita, ut talem respectum actu dicatur habere. Nam si intellectus comparat illam inferioribus, eo ipso eam intelligit actu rectam non reali relatione, ut perspicuum est, ergo conficta per intellectum: cumque relatio ratio-

nis tandiu actu dicatur esse, quandiu cognoscitur, tunc actu erit, cum res illa per intellectum comparatur. Porro hæc notitia, qua natura comparatur, non potest esse simplex apprehensio, sed compositio: tunc enim intellectus comparat, cum videtur illam naturam in pluribus esse, & eis conuenire: tunc autem videt eis inesse, quando predicatione eam alijs confert, & comparat.

Ceterum existimo nullam distinctionem, aut relationem rationis, quæ non conuenit Deo ex natura rei, posse ipsi conuenire per suum intellectum: hoc vero ex professo probabitur infra disp. 118. c. 2. nulla enim distinctio rationis, aut respectus fit ab intellectu concipiente rem, sicuti est proprio, & quidditatiu conceptu. Nam qui concipit distincta, quæ re in diuina sunt, & relatur, quæ re ipsa absoluta sunt, non format proprium conceptum rei: cum igitur Deus scientia sua ita perfecte res omnes intelligat sicuti sunt, ut nihil prorsus eas mutet in mente sua; fieri ut quæ sunt magna imperfectione, ut ipse ratione distinguat, quæ re ipsa non differunt, & refert, quæ reuera non referuntur. Et quamuis Deus optime cognoscat, sua attributa à nobis distingui, & aliqua illarum concipi à nobis ut relata, quæ reuera absoluta sunt, suo tamen intellectui non obijciuntur sicut nobis: quemadmodum etiam ipse intelligit à nobis cognosci res spirituales per alienos conceptus, sed ipse non format sibi conceptus illos imperfectos de rebus, quos nos habemus, superest igitur ut cum dicimus plures esse in Deo ideas ratione distinctas, pluresque ideales respectus, intelligendum sit per intellectum viatoris, non per diuinum, imo neque per intellectum videntis Deum, quatenus Deum clarè intuetur: ut eadem ratione colligitur, & loco citato fusius dicemus. Quare nomen hoc *idea*, quod à nobis impositum est, nostro modo intelligendi significat in Deo respectum rationis nostræ, ac proinde superius diximus absolute concedi posse in Deo plures ideas.

Quod vero assererat Argentina, ut probaret non posse ideas in Deo nostro intellectu distingui, finitum est: nam cum dicimus esse in Deo plures ideas, non intelligimus ab æterno actu distinctas, sed quæ ab æterno possent distingui, si esset intellectus, qui essentiam Dei, ut imitabilem à pluribus creaturis cum ipsis compararet, ac proinde Logici dicerent esse plures in Deo ideas ab æterno fundamentaliter, non formaliter, idemque de omni respectu rationis, quem Deo nos in tempore tribuimus, dicendum est, quoties fundamentum æternum est: si vero esset temporale nouum, ut q. 14. art. 15. notauimus.

CAPVT III.

Non dicuntur in Deo esse plures artes, aut scientia, sicut dicuntur plures ideas.

Scholastici, qui huius rei mentionem fecerunt, absque ulla controuersia affirmant, in Deo non esse dicendas plures scientias, aut artes, etiam si dicantur plures ideas: variant tamen in assignanda ratione.

Primo Alexan. 1. part. quest. 27. mem. 4. art. 1. §. unico, eam reddit, quia ars & scientia se habent ex parte ipsius scientis, & artificis, sed idea potius ex parte rerum. Hanc rationem videtur amplius explicasse S. Thom. in hoc art. ad 2. quia scilicet ars, & sapientia

& sapientia significantur vti id, quo Deus intelligitur: sed idea vti id, quod intelligitur. Sic ergo idea potius se habet ex parte rerum, scientia vero, & ars ex parte scientis, & artificis: cumque Deus vno actu dicatur scire omnia, & intelligere, ideo dicitur vna eius scientia, sapientia, & ars: quia vero intelligit, in sua essentia se multa intelligere, vnde essentia sua habet rationem ideæ; ideo dicitur multarum idearum rationem habere. Hanc rationem sequitur etiam Bonau. in 3. d. 35. art. 1. q. 3. Ricard. d. 36. ar. 2. q. 3. ad 3. Durand. q. 4. ad 2. in prima solutione, quam adhibet argumento, ea tamen mihi non omnino probatur, tum quia idea non est res cognita, sed ipsamet cognitio Dei, ut etiam ex mente S. Thom. disp. 71. c. 2. ostensum est: tum etiam, quia tam scientia, quam idea connotat respectum rationis ad obiecta cognita: ergo sicut respectus ideales multiplicatur ex rebus, & ideo multe dicuntur ideæ, cur etiam non multiplicabuntur ex rebus respectus scientiæ, & artis, vti quoque multe artes, & scientiæ in Deo esse dicantur.

Secundo Aegid. in 1. d. 36. art. 2. q. 2. ad 4. argum. responderi ideo plures ideas in Deo esse, quia idea in sua ratione formali completa includit respectum ad creaturas, & ita multiplicatis relationibus, multiplicari etiam dicantur ideæ: scientia vero seu ars principaliter significat diuinam essentiam: quasi dicat respectum rationis esse extra rationem illius, sicut communiter dicunt Philosophi scientiam creatam esse qualitatem, respectum autem connotatum ab ipsa esse extra rationem & essentiam illius. Ego vero hanc differentiam non video, nam eodem modo essentia ipsa Dei in se est scientia, sicut est idea rerum: vtrique vero nostro modo nominandi cum relatione significatur, sicut etiam concipitur: cur ergo magis respectus connotatus pertinet ad rationem formalem ideæ, quam ad rationem scientiæ, ut ex illo ideæ multiplicentur, scientia vero & ars vnica solum sit? Porro creatura scientia, quæ re ipsa refertur ad obiectum, est quidem qualitas, sed quæ natura sua refertur ad aliud, nisi quod ratione nostra distinguimus ipsam in absolutum, & relationem, etiam si re ipsa hæc duo non distinguantur: & in duobus distinctis prædicamentis eam collocamus: nam prædicamentorum distinctio, & pluralitas, ut disp. 116. & 118. dicimus, non ex rebus realiter, aut ex natura sua distinctis sumenda est, sed sola nostra ratione multiplicari possunt: sicut sub eodem prædicamento varia quoque prædicata sola ratione distincta constituuntur.

Tertio igitur vnica, & optima ratio, ob quam vna tantum scientia, & ars in Deo dicitur, cum tamen plures dicantur ideæ, est, quoniam am pluralitas idearum ex pluralitate obiectorum materialium, quæ arte sunt sumenda est, scientiæ vero & artis distinctio non ex pluralitate obiectorum materialium, sed ex diuersitate obiecti formalis, & modi sciendi, aut procedendi pensari debet. Quod adeo verum est, ut cum multi censeant, quamlibet scientiam in nobis non esse simplicem, & vnica qualitatem, eo quod circa varias conclusiones & obiecta materialia versetur, omnes tamen fatentur vnica, aut plures qualitates esse solum vnain scientiam, si idem habeant obiectum formale, & modum sciendi, aut procedendi: idemque de arte omnes existimant: cumque in nobis vna & eadem dicatur ars, quæ plura operatur, quia eodem modo

Vaquez in 1. part. Tomus I.

in omnibus operibus procedit, multa nihilominus sub se continet exemplaria, & ideæ: sicut idem pictor quia in omnibus eodem modo procedit, vniam dicitur habere artem; sed quia dum singula opera facit, varias aspiciet formas, quarum instar alias depingit imagines, plures dicitur habere ideæ, aut exemplaria. Hoc vero intelligendum est accipiendo artem pro habitu, nam interdum accipitur pro ipsa idea artis, quæ ad artem pertinet, sicut accepit Arist. 1. 2. metaph. cap. 3. tex. 24. sic autem multiplicata idea, ars quoque multiplicari dicitur, sed ars particularis, non generalis, quæ est habitus. Ergo cum in Deo idem sit modus sciendi, quia omnia sunt ei per se nota; & idem sit principium, quod est veluti obiectum formale scientiæ, scilicet essentia diuina, in qua omnia Deus cognoscit; vnica tantum erit in eo scientia: cumque idem sit etiam modus operandi intellectus, & voluntatis, eadem erit ars licet diuersa operetur, erunt tamen diuersæ ideæ; nam sub eadem arte plures ideæ contineri possunt iuxta varietatem operum illius artis, ut explicatur est.

Rationem hanc videor mihi colligere ex Durandus. Num singulis operibus singula sunt ideæ in Deo, & nobis. quilla 4. ad 1. mo inter Deum summum artificem aliosque artifices creatos hanc ego differentiam inuenio; quod alij ex eadem idea numero, quam exterius sibi proponunt, & aspiciunt, ut imitentur, varia solent opera facere: tamen semper interior apprehensio, quæ mouet ad opus aliquo modo varietur, at vero in Deo singulis minimis rebus, quas ipse facit, singula ideæ nostro modo intelligendi constituendæ sunt. Et ratio est, quoniam idea in Deo est essentia Dei, ut habet rationem cognitionis, hæc autem ex diuerso ordine ad diuersa opera dicitur multiplicari, artifex vero creatus habet pro idea rem aliquam exterius sibi obiectam, quam sibi imitandam proponit, eadem autem seruit diuersis operibus, licet diuerso modo cogitatione interiori, quæ ad opus proxime dirigit, apprehensa, quare si ideam dicamus esse non rem exterius positam, sed interius apprehensam, creatus etiam artifex singulis operibus singulas habet ideæ.

Postremo obseruandum est, eandem esse rationem de exemplari, quam diximus esse de idea, unde sicut in Deo sub vna scientia, & arte plures esse dicuntur ideæ, sic etiam plura exemplaria esse dicendum est. Nam exemplar, & idea eo solum differunt, ut seq. art. dicimus, quod exemplar est idea rei, quæ aliquando futura est, idea vero etiam rerum tantum possibilem, & nunquam futurarum esse dicitur, tamen si diuersitas hæc ab Scholasticis solum fuerit introducta.

Quare non probo sententiam Alexandri, qui dixit eandem esse rationem exemplaris, & artis, ut eodem modo multiplicari dicantur, neque opinionem Ricardi cum ait non esse plura exemplaria, bene tamen plures ideæ, quia exemplar, inquit ille, est aggregatum quoddam plurimum idearum, sicut sigillum aggregatum etiam plurimum figurarum: hanc igitur sententiam non probo, siquidem Dionys. de diu. nomi. ideæ, de quibus ibi agit appellat græce *ναρξιδει*, quæ quod latine trās fertur Exemplaria. Tandem Ricard. fatetur pro eodem posse usurpari ideam, & exemplar, nisi usus contradicat, & auctoritas; quæ mea quidem sententia minime auerlantur.

Kk 3

ARTI-

ARTICVLVS III.

Utrum omnium, quæ cognoscit Deus, sint ideæ.

88
1. dist. 3. q. 1.
2. ar. 3. q. 1.
d. 1. q. 1. ar. 2.
6. q. 1. ar. 3.
ar. 4. 5. 6. 7.
8. 8.

Ar. 9. preced.
quest. Cap. 1.
non multum
remote ante
finem.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non omnium quæ cognoscit Deus, sint ideæ in ipso. Mali enim ideæ non est in Deo, quia sequeretur malum esse Deo: Sed mala cognoscuntur à Deo. Ergo non omnium, quæ cognoscuntur à Deo, sunt ideæ.

2. Præterea. Deus cognoscit ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: ut supra dictum est. Sed horum non sunt ideæ: quia dicit Dionys. 5. c. de di. nom. quod exemplaria sunt diuinæ voluntates determinatiuæ, & effectiuæ rerum. Ergo non omnium, quæ à Deo cognoscuntur, sunt ideæ in ipso.

3. Præterea. Deus cognoscit materiam primam: quæ non potest habere ideam cum nullam habeat formam. Ergo idem quod prius.

4. Præterea. Constat quod Deus scit non solum species, sed etiam genera, & singularia & accidentia. Sed horum non sunt ideæ, secundum positionem Platonis, qui primus ideam introduxit, ut dicit August. Non ergo omnium cognitorum à Deo sunt ideæ in ipso.

Sed contra. Ideæ sunt rationes in mente diuina existentes, ut per Aug. patet. Sed omnium, quæ cognoscit Deus, habet proprias rationes. Ergo omnium, quæ cognoscit, habet ideam.

Respondetur dicendum, quod cum ideæ à Platone ponerentur principia cognitionis rerum & generationis ipsarum, ad utrumque se habet ideæ, prout in mente diuina ponitur. Et secundum quod est principium factionis rerum, exemplar dici potest, & ad practicam cognitionem pertinet: secundum autem quod principium cognoscitiuum est, proprie dicitur ratio, & potest etiam ad scientiam speculatiuam pertinere. Secundum ergo quod exemplar est, secundum hoc se habet ad omnia, quæ à Deo sunt secundum aliquod tempus. Secundum vero quod principium cognoscitiuum est, se habet ad omnia, quæ cognoscuntur à Deo etiam si nullo tempore fiant, & ad omnia, quæ à Deo cognoscuntur secundum propriam rationem, & secundum quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis.

Ad primum ergo dicendum, quod malum cognoscitur à Deo non per propriam rationem, sed per rationem boni. Et ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundum quod ideæ est exemplar, ne-

ARTIC. III.

que secundum quod est ratio.

Ad secundum dicendum, quod eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. Unde respectu eorum non est ideæ in Deo secundum quod ideæ significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem.

Ad tertium dicendum, quod Plato secundum quosdam posuit materiam non creatam, & ideo non posuit ideam esse materiæ, sed materiæ concausam. Sed quia nos ponimus materiam creatam à Deo, non tamen sine forma: habet quidem materiam ideam in Deo, non tamen aliam ab ideā compositi. Nam materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est.

Ad quartum dicendum, quod genera non possunt habere ideam aliam ab ideā speciei secundum quod ideā significat exemplar: quia nunquam genus fit nisi in aliqua specie. Similiter etiam est de accidentibus, quæ inseparabiliter concomitantur subiecto, quia hæc simul sunt cum subiecto. Accidentia autem, quæ superueniunt subiecto, specialem ideam habent. Artifex enim per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domum. Sed ea, quæ superueniunt domui iam factæ, ut picturæ vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam. Individua vero secundum Platonem non habebant aliam ideam quam ideam speciei. Tum quia singularia indiuiduantur per materiam, quam ponebat esse increatam (ut quidam dicunt) & concausam ideæ. Tum quia intentio naturæ consistit in speciebus, nec particularia producit, nisi ut in eis species saluentur. Sed prouidentia diuina non solum se extendit ad species, sed ad singularia, ut infra dicitur.

Conclusio est, Ideæ quatenus dicitur exemplar, solum est in Deo respectu futurorum: ideæ tamen, ut est ratio, tantum est omnium rerum possibilem, quæ nunquam erunt. doctrina articuli & mens S. Thom. disp. seq. explicabitur.

DISPUTATIO LXXIV.

Circa doctrinam Articuli.

Ideæ & exemplar pertinet ad practicam scientiam: at vero ideæ potest etiam pertinere ad speculatiuam. cap. 1. Non tantum specierum & generum, sed indiuiduorum etiam singulas ideæ in Deo esse cap. 2. Materia & accidentium, quæ realiter distinguuntur à substantia, peculiare ideæ ponende sunt. ca. 3.

CAPIT